

aspectus & radij sinistri ipsius planetæ cum fuerit inter duos círculos, Vel aliter considera per æstimationem rudem, & cõiecturam tuam gradum perfectum circuli signorum ad quem extēdūtur aspectus & radij ipsius planetæ, cuius radios & aspectus quæris, & differentiam ascensionum quæ fuerit in directo prædicti gra. æstimationis & coniecturæ tuæ, multiplica per minu. horæ imperfectæ, & cætera facias pro ut dictum est in capitulo præcedente, pro sciendo quo de circulo signorū perueniet directio significatoris dirigendi in aliquo annorum, & habebis quo de circulo signorum extendētur aspectus & radij sinistri ipsius planetæ cum fuerit inter duos círculos. Quibus scitis faciliter scire poteris quo de circulo signorum extendentur aspectus & radij dextri eiusdem planetæ, quia semper in oppositione aspectuum & radiorum sextilium sinistrorum alicuius planetæ cadunt aspectus & radij trini dextri eiusdem planetæ, & in oppositione aspectuum & radiorum quartorum sinistrorū cadunt aspectus & radij quarti dextri, & in oppositione aspectuum & radiorum trinorū sinistrorum cadunt aspectus & radij sextilis dextri. Et in oppositione ipsius gra. planetæ cadūt aspectus & radij oppositionales. Modum autem inueniendi ascensiones correspondētes unī graduī circuli signorum in parte extensionis radiorum scire poteris ex his quæ dicta sunt in capitulo præcedenti.

Capitulum octauum. De ampliori utilitate & sufficientia prædictarum tabularum ad plura climata,

Quamuis autē prædictæ tabulæ sint cõpositæ ad nostrū clima in quo prolixior dies est, & similiter prolixior nox est horarū 15, minu. 27. ferè, possunt etiã sufficere ad alia plura climata, ppter qd sciendū est qd quàmuis in cõpositione prædictarū tabularū cuilibet circulo horarum facta sit una tabula ascensionū, possimus tamē omnia superius dicta de directiõibus & aspectibus & radijs exercere cū ascensionibus triū circuloꝝ tm̄ uidelicet, mediij q̄ est circulus meridiei & mediæ noctis, & duorū extremorū, quorū
alter